Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg

Bibliographische Daten

Titel: Aristoteles – Nürnberg, STN, Cent. IV, 1
Signatur: Cent. IV, 1

Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0 uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.

Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.

quare et fontes multi hii quidem amari, alii vero acuti, hii autem omnino omnes habentes sapores aliquos. Rationabiliter itaque in nascentibus fit saporis genus maxime plurium. Natum enim est humidum, quemadmodum et alia, a contrario pati; contrarium autem siccum. Quare et ab igne patitur; quod sicca enim ignis natura. Sed proprium ignis calidum est, terre vero siccum, sicut dictum est in hiis que de elementis. Qua quidem igitur ignis et qua terra, nichil natum est facere vel pati, nec aliud quodlibet; quatenus enim inest contrarietas in uno quoque, hec omnia faciunt et patiuntur.

Quemadmodum ergo qui lavant in humido colores et sapores talem faciunt habere aquam, sic et natura siccum et terreum, et per siccum et terreum colans et per calidum movens, quale quoddam humidum facit. Et hoc est sapor, facta a sicco passio in humido, gustus secundum potentiam alterativa in actum. Ducit enim sensitivum ad hanc potentia preexistens; non enim secundum addiscere, sed secundum speculari est sentire. Quoniam autem non omnis sicci sed nutritivi sapores aut passiones sunt aut privationes, oportet sumere hinc quoniam nec siccum absque humido nec humidum absque sicco; esca enim ipsis animalibus nichil unum solum, sed que immiscentur in ipsis plantis, sed mixtum. Et sunt oblati cibi animalibus tangibilia quidem sensibilibus augmentum facientia et detrimentum; nutritivum quidem secundum quod gustabile oblatum. Omnia enim nutriuntur dulci simpliciter vel commixto. Oportet quidem igitur de hiis determinare in hiis que de generatione; nunc autem quantum ad necesse tangere de ipsis. Calidum enim augmentat et siccat nutrimentum, et quod leve quidem attrahit, amarum autem et salsum relinquit propter gravedinem. Quod itaque facit in exterioribus corporibus exterior calor, hoc quidem in natura animalium et plantarum; quare nutriuntur dulci. Commiscentur autem alii sapores ad cibum eodem modo, salso et acuto pro condimento. Hoc autem propter contrahere, eo quod nimis nutritivum sit dulce et supernatans.

Quemadmodum autem colores albi et nigri commixtione sunt, sic et sapores a dulci et amaro, et secundum proportionem etiam eo quod magis vel minus unusquisque est, sive secundum numeros quosdam commixtiones et motus, sive et indeterminate. Qui autem delectationem faciunt commixti, hii in numeris solum. Qui quidem ergo pinguis est dulcis sapor, amarus vero et salsum fere idem sunt, ponticus vero et austerus et stipticus et acutus in medio fere. Equales enim fere humorum species et colorum. Septem enim amborum species, si quis ponat, sicut rationabile, fuscum nigrum aliquid esse. Relinquitur enim flavum quidem albi esse, quemadmodum unctuosum est dulcis; puniceum et alurgon et viride et cyaneum in medio albi et nigri, alii vero mixti. Et sicut quidem nigrum privatio est et in perspicuo albi, ita amarum et salsum dulcis in nutrimentali humido. Quapropter et cineris amarorum combustorum omnium; exalatum enim est ex ipsis potabile.

Democritus autem et plurimi phisiologorum quicumque dicunt de sensibus inconvenientissimum aliquid faciunt. Omnia enim sensibilia tan